



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-539053-p0001-9

DFG



19
Q. D. B. V.
RENATI DES CARTES
PROBLEMA METAPHYSICUM :

Qvòd
MENS HUMANA
SEMPER COGITET,

Consensu Amplissimi Philosophorum Ordinis,
in Regiâ Academiâ Gryphicâ
examinabunt publicè

PRÆSES

M. JOH. CHRISTOPHORUS
ROSTEUSCHERUS, Gedan.

Vocatus Logic. & Metaph. Professor Ordinar.

&


RESPONDENS

CHRISTIANUS SEGER,
Anclam. Pomer.

Ad D. Augusti A. O. R. M DC LXXXV.

GRYPHISWALDIÆ,

LITERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, REGIÆ ACAD.
DEMIAE TYPOGRAPHI.



VIRIS

Nobilissimo, Amplissimo Consultissimoq;

DN. GEORGIO GOETSCHIO,

*J. U. Licentiato celeberrimo & Consuli Ancla-
mensium merentissimo;*

U. &

Plurimum & Pergam Reverendis, Amplissimo, Clarissimisq;

DN. M. FRANCISCO BUDÆO,

*Ad ædem Nicolai, qvæ Anclami est, Pastori vigilantis-
simo, totiusq; Synodi Præposito gravissimo,*

DN. CASPARITRENDELENBURG,

Ecclesiastæ ad D. Mariæ ejusdem Urbis fidelissimo,

Nec non

Integerrimis, Spectatissimis Prudentissimisq;

DN. JACOBO TIEDEN,

& DN. DIETERICO von Scheven /

*Senatoribus ibidem dignissimis & Mercatoribus
florentissimis,*

*DOMINIS, PATRONIS, PROMOTORIBUS, AVUNCULO
& FAUTORIBUS,*

omni animi observantia submissè colendis

Exercitium hocce Academicum

in obsequentis animi indicium

*& ulteriore sui Studiorumq; suorum commendationem
cum omnigenæ prosperitatis voto*

offert

RESPONDENS.

*M. 5. n. à quā f. Etat
et offit c. 6.*

Nunquam otiosam esse Humanam mentem, nec ab omni labore vacuam, constans erat veterum Platonico-
rum sententia, qui, quod in demonstrandā mentis nostrae immortalitate versabantur, eandem semper operari atq; ut Platonis (a) utar vocabulo, *αεικόνησον* esse statuebant. Quo quidem nomine uti continuam quādam & indesinente humanæ mentis cogitationem intellexisse veteres, in veterum Philosophiā versatissimus Gassendus (b) existimat: ita occasionem inde subministratam suisse credim⁹ recentiorib⁹ quibusdam Philosophis, ut ad excolendam ulteri⁹ hanc de Perpetuā Cogitatione mentis, quā Plato primūm introduxerat, doctrinam animum applicarent. Præ cæteris verò operam in hoc argu-
mento insignem collocavit Illustris ille Perroni Dominus, RENATUS DES CARTES, qui cùm singulari quādam ingenii felicitate fratres de consuetā philosophandi ratione destruendā, & novā, quod de semetipso fatetur (c) introducendā consilia agitare cœpisset, imitatus esse videtur Architecum (d), qui eti⁹ destructā veteri domo de novā exstruendā cogitare cœpit, lapides tamen & ligna ex ruderibus destructæ domūs feligit, quorum in condendā novā usus aliquis esse potest. Haud absi-
mili ratione Cartesius, cùm in veterum Philosophorum scriptis, Pla-
tonis præsertim & Aristotelis, quos primos & præcipuos haud imme-
ritò vocat, (e) esset versatissimus, diversaq; uti de se scribit alibi, opini-
ones cognovisset, quæ ab omni memoria doctissimos quosq; collis-
serunt, relictis, quæ vel adversari novæ illi, quam parabat, Philosophiæ, vel nullius in eā usus fore animadvertebat, ea tantum retinenda è veteri Philosophiā & uberi⁹ excolenda esse censuit, quæ congruere cum mente suā & ad finem, quem sibi proposuerat, accommodata esse intelligebat.
Nam ut ea præteream, quæ ex Aristotelis Philosophiā hausit, eidemq;
conformia docuit Des Cartes, à Cl. in Belgio Philosophis Johanne
de Raci (f) & Abrah. Gravie (g) aliisq; operosè ostensa, quātam

A 2

certe

- (a) In Phaedr. p. 245. Conf. Grav. de Philos. veter. Lib. 3. o. 22. p. 623.
Orstevogt. syll. Diss. undec. p. 224. (b) Disquis. Metaph. adv.
Cartes. Metaph. p. 58. (c) vid. Diss. de Meth. p. 9. 11. (d) utitur
hoc simil. ab Arabit. petit. Cartes. passim de Method. p. 7. 8. 14.
(e) Prefat. Princ. Philos. (f) conf. ejusd. claris Philosopb. Naturali.
Aristotelico Cartesiana. (g) In specim. Philosopb. veterum.



certè ex Platonis, cui majorem alicubi quam Aristoteli laudem fidemq;
tribuit, profecerit doctrinā, nemini obscurum esse poterit, qvi illa de
fallaci sensum judicio, de putā & à phantasmatibus liberā rerum
immaterialium perceptione, de animo, ut veritatem assequatur, à sen-
sibus abducendo, & in seipsum revocando, de ideis innatis, deq; Mente
humanā indeśinenter cogitante placita à Platone primū tradita, à
Cartesio deinceps exulta magis & expolita accuratiū expenderit.
Utut enim postremum illud, qvodq; hoc loco præcipue spectamus de
perpetuā Cogitatione dogma ante D. Des Cartes neminem aperuisse
existimet *cl. Ludov. de la Forge* (b) aliud tamen docent, cum Platonis
ad posteritatis memoriam relictā monumenta, tum insignis ille Plato-
nicæ Philosophiæ estimator, atq; ingens eruditæ Galliæ ornamentum
Joh. Baptista du Hamel (i) qvi & veterum Platonicorum hanc fuisse
sententiam eruditè ostendit, & ex eorundem scriptis deinceps petuisse
D. Cartesum nobiscum arbitratur. Cùm autem fundementum, quo
stabilire hoc de perpetuā Mentis Cogitatione assertum subinde conatus
est *Cartesius*, multos hactenus commoverit, ut in eandem sententiam
concederent, atq; ipse etiam Metaphysicas (k) rationes, qvas in hanc
finem attulit, certas & maximè evidentes esse pronunciaverit (l),
nihil ab instituto nostro facturos nos esse alieni existimavimus, si in
discutiendis illis operam aliquam collocaremus & num tanti ponderis
sint, ut óμοψήφες nos reddere omnino debeant, instituto modesto
examine cognosceremus.

§. 2. Præcipuum Renati des Cartes argumentum, qvod in hāc
controversiā omne momentum conficit, ceterisq; rationibus funda-
menti loco substernitur, ipsam humanæ mentis naturam & essentiam
concernit, quam cùm in actuali cogitatione totam consistere perswasus
planè sit *Cartesius*, seqvi etiam exinde necessariò judicat, Humanam
mentem, quamdiu existit, in perpetuā cogitatione versari. Ita enim
ad eruditissimum *Gassendum* alicubi (m) *Cartesius*: Hæres, scribit,

an ego
(h) *Tract. de Hum. Ment. c. 6. §. 2. p. 30.* (i) *De Ment. Hum. Lib. I.*
c. 1. p. 253. (k) *Doctrinam enim rerum immaterialium DEI præcipue*
& mentis ad Metaphysicam referri à Cartesio ex ejus scriptis satis
constat, vid. Pref. Princ. & Resp. ejus ad Object. adv. medit. notas
passim. (l) *P. 2. Ep. 16. p. 85.* (m) *Resp. Quint. ad Object.*
Gassf. p. m. 60.

an ego existimem animam semper cogitare, sed quidni semper cogitaret, cum sit substantia cogitans. Qvod ne ita crudè à Cartesio assertum esse existimemus, cum pari facilitate colligi posse videatur hominem, qvia substantia est aliquando ambulans, perpetuò ambulare, in subsidium vocanda sunt loca alia, in quibus & vim argumenti omnem & mentem suam dilucidius exponit. Offert autem se illustris locus *in Epist. opere* (n) quem juvat adscribere: Necessarium videtur, ut mens semper actu cogitet, qvia cogitatio constituit ejus essentiam, nec concipitur tanquam attributum, qvod potest abesse vel adesse. Ad demonstratam alibi mentis naturam provocans ita concludit (o): Quæ certior aut evidentior ratio ad hoc posset optari, quam qvod probârim ejus naturam sive essentiam in eo consistere qvod cogitet, neq; enim ulla res potest unquam propriâ essentia pvari. Qvod si nervus Cartesianæ argumentationis Syllogismo deberet includi, seqvens inde ratiocinum posset exstrui: Qvodcunq; essentialiter consistit in Cogitatione illud perpetuò cogitat, Atqui Mens humana essentialiter &c. E. Ubi in Majori quidem nihil occurrit qvod desiderati possit, cum illud libenter hactenus largiamur Cartesio, ea quæ de essentiâ alicujus rei sunt, eamq; intrinsecè constituunt, non posse non rei illi semper adesse, & nunquam salvâ manente ejus essentiâ separari, ex quo deinceps prono alveo fluit, ea etiam, quorum essentia tota in operatione aliquâ, qualis est cogitatio, consistit, nos posse non continuò operari. Illud tamen præterundum omnino non est, perperam fecisse *Cartesium*, quando in doctrinâ de Methodo (p) reciprocum & convertibilem huic propositioni sensum affingit, atq; ex perpetuâ mentis cogitatione inferre conatus est, ipsam mentis humanæ naturam solâ cogitatione constare. A perpetuâ enim duratione actus ad intrinsecam constitutionem rei ex actu isto derivandam mala omnino & vitiosa instituitur collectio. Cœlum, aut terra secundum Copernicistas, & Cartesianos instar Planetæ perpetuò moveatur, & Sol in meditullio, qvod ajunt, totius universi constitutus circumiacentia corpora perpetuò illuminat, anne verò inde cœli vel terræ essentiam in motu vel Solis naturam omnem in illuminatione consistere concludere licebit? Circa minorem autem ostendendum in primis est, quantis illa difficultatibus urgeatur. Videtur enim absurdum omnino & proflus incongruum, totam mentis humanæ substantiam ejusq; adæ-

A 3

quatam

(n) P. 2. Epist. 4. p. 14. (o) P. 2. Ep. 16. p. m. 85. (p) p. m. 21.



q̄vata m̄ & accuratam, q̄vam ante se neminem dedisse gloriatur Cartesius. (q) definitionem actuali cogitatione exprimi. Ecquid enim est Cogitatio? Non inconcipiē apud Job. Bapt. du Hamel (r) Plato, sermonem esse docet, quem mens apud se volvit, circa illa q̄væ considerat. Cūm enim cogitat Humana mens, secum ipsa differit, adeò ut cogitatio sit ipsa sine strepitu vocis oratio, aut interior qvædam colloquio. Qvam verò hoc sensu aliam notionem tribues cogitationi, p̄terqvam actionis, & talis qvidem actionis, qvam propter varietatem objectorum, qvæ successivè s̄istuntur intellectui consideranda, interrup̄tā esse oportet. Ecquis verò crediderit, totum esse substantiæ īstius immaterialis, qvam naturam toties humanæ menti tribuit Cartesius, qvoties & substantiam eam esse satetur, & extensionem ab eā studiōsè removet, solā actione eāq; interruptā absolvit. Variat illa pro varietate objecti, cum qyo istiusmodi nexus habet, ut qyando nihil apprehendit intellectus, nec objectivè sibi qvid repräsentat, nulla etiam adesse intelligatur cogitatio. Anne verò etiam mentis humanæ essentia toties variabit, qvoties variat cogitandi actus, aut cūm cogitationes nostræ aliæ subinde atq; aliæ sint, nostræ etiam mentis essentia alia subinde erit. atq; alia? Confundit nimirum Cartesius rerum essentias cum determinatis modis operandi, nobisq; cudit tot diversas rerum essentias, qvot sunt varij existendi & operandi modi particulares, quod nobis alijs perperam & absq; iudicio assingit novus ille Cartesii interpres P. Allingga (s). In confessio deinde est, & seniori Philosophiæ consensaneum, omnem substantiam, in qvācum illa secundum se & constitutiva essentialia spectatur, aliquid absoluti nostro intellectui offerre, cūm conceptus sit rei per se existentis & ab omni aliâ separatae, nec opus habeat, ut cūm relatione ad aliud concipiatur. At qvid hīc præstabilit cogitatio, qvæ, uti rectè docet Cl. Gerhardus de Vries (t) menti semper aliquid offert relativi, nec tantum respectum infert ad aliam rem à se diversam, à qvā tanquam à principio emanere intelligitur, sed & ad objectum, quo sublatō omnem etiam tolli cogitationem necesse est. Quid dicendum qvoq; de variis in mente humana facultatibus, qyas non semper actuali exercitio operativas esse sana docet ratio, qvid de habitibus tum acquisitis tum insufsis, qvos ad benē longum tempus

(q) Not. ad Program. p. m. 178. (r) De Mente Hum. lib. I. c. I. p. 252.
(s) Erot. illustr. p. 243. (t) In Confut. Narr. p. 124.

tempus constat quiescere: at si Cartesii iudicio mens nostra est sola cogitandi actio, nonne & haec omnia semper erunt actuosa, sive actus secundum operativa, cum adjuncta sint, quae conditionem subjecti sui, cuius tota essentia, si placet superis, mera est actio, necessariò sequuntur. Adde quod si v. g. haec vel illa cogitatio, quam à me ut auctore profectam esse novi, ipsam mentis essentiam intrinsecè constituit, mentis ipse meæ auctor esse cogar, quod tamen nec Cartesius admiserit, qui humanam mentem à DEO per immediatam creationem condi, & corporibus, quibus vitam animalem à rationali distinctam tribuit, infundi, sapientius inculcat.

§. 3. At præter rem sibi obverti illa existimabit Cartesius, cum non in actione, aut variis cogitandi modis, sed in re quæ cogitat, mentis humanæ essentiam consistere subinde doceat. Nimirum ut sicut faciat imperitis, atque difficultates modò recensitas declinet, cogitationem sive naturam cogitancem, in quæ mentis humanæ essentiam collocat, longè aliud esse statuit, quam hunc vel illum actum cogitandi & proinde ambiguā esse vocem Cogitationis aliquoties (u) monet. Enim verò non arbitramur quenquam ante Cartesium ambiguitatem aliquam in vocabulo Cogitationis agnoscere, & modò actionem mentis, modò facultatem, modò ipsam substantiam animæ (haec tria enim cogitationis nomine vult (x) comprehendit) auditâ cognitione intellexisse. Ipse Poiretus (y) cogitur sacerdos, homines vix, essi monitos posse abstinere, quin per vocem cogitatio, actionem sive actum intelligent. Uni igitur Cartesio hoc datum erat, ut significaciones nominum, postquam usū semel receptæ erant, emendare posset, quam potestate sibi & tribuit (z), & sapè alias usurpat? Sed dabimus hoc Cartesio atq; a deo humanam mentem quodammodo cogitationem dici posse fatebimur, anne verò accurata haec & omnibus numeris absoluta definitio, quæ omnem mentis nostræ essentiam exprimat, salutanda erit: Mens humana est cogitatio, i. e. substantia quæ cogitat? Non tangemus jam, quod vulgares Logicorum regulæ tradunt, definitionem omnem præsertim essentialem debere perspicuis, non verò ambiguis constare verbis, neq; illud hic urgebimus, definitionem hanc definitio suo latiorem videri, & DEO

(u) *Princ. Phil. art. 63. 64. p. 18. & ad Instant. Gass. p. 144. & in Epist. pariter passim. (x) Resp. 3. p. 93. (y) In notis ad Cog. Rat. Lib. 2. c. 2. p. 76. (z) Resp. 5. ad obj. Gass. p. m. 60.*

pariter atq; Angelis applicari posse, qvod facilè concedet Cartesius, anne verò actus quidam mentis conceptum ejus contrahentem, quem primum hic & quidditativum essentiæq; constitutivum esse oportet, absolvet, aut, quando v. g. canem describis, qvod sit substantia, quæ ambulat, (cùm cogitatio æqvè latè pateat, & præter mentem cæteris quoq; immaterialibus substantis conueniat) perfectam te definitionem canis dedisse existimabis. Sed ut apertè constet, sumum hic vendere cartesianos & inania esse χρηστόγεντα, ad quæ se recipiunt, cum interim in sola actione totam essentiam animæ collocent, placet hic allegare verba *Allingæ*, ita complicum suorum nomine perorantis (aa) : Probè observandum est, essentiam animæ à nobis non constitui in cognitione, ut determinata ad certum quid sed in τῷ cogitare, qvod generalius quid est & abstrahit à particulari determinatione. Qvibus gemina sunt quæ habet P. Poiret (bb) cognitionem, ut per eam mentis natura non ambiguè notetur, intelligendam esse docens, ut limitatam quidem, quia omnia simul percipere non potest, at non ut determinatam ad certum quid? Liceat autem mihi cum Viro quodam Clarissimo, quem ob perspicax & eruditum ingenium commendat *Cartesius* (cc) fateri me non posse intelligere, quomodo cognitione in universum ab hac vel illa cognitione abstrahi possit, nisi per intellectum (dd). Limitatam esse nostram cognitionem & finitam pro conditione principii cogitantis, qvod finitum est & certis limitibus in essendo pariter & operando circumscripsum probè novi, ecquid tamen indeterminata sive, uti loquitur P. *Allinga* (ee) indefinita sit cognitione, quæ ad certum aliquod objectum neutriquam referatur, neq; tamen sit conceptus quidam universalis per mentis operationem præcisivam abstractus, sed natura quædam particularis, esse aliquod singulare animæ constituens, qvod toties inculcat *Cartesius* (ff) *Allinga* (gg) Anton. le Grand. (hh) mens mea non assequitur, putoq; æqvè difficulter intelligi, quomodo mens nostra indeterminate cogitet, quām quo modo corporis nostri substantia ita continuo effluat, ut in corpore senis aut adulti ne forte unica supersit particula ejus, qvod in illo erat, cùm infans nasceretur

desinens

(aa) *Erot. Illustr. Erot. 6. p. 342.* (bb) *C. R. L. 2. c. 2. §. 2. p. 44.*

(cc) *P. 2. Epist. 4. p. 14.* (dd) *vid. Epist. Anonym. P. 2. opp.*

Epist. Cartes. Epist. 5. p. 17. (ee) *Erot. Illustr. p. 344.* (ff) *L. 2.*

Ep. 6. p. 19. (gg) *Erot. p. 344.* (hh) *Instit. Phil. p. 919.*



definens quippe post aliquantulum temporis spatium esse id quod fuit,
& ejus, cuius fuit, quod satis alioqui audacter affirmat *P. Poiret* (ii).
Putant tamen more suo rem totam perspicue exponi posse simili, quod
ex eodem *Poireto* (kk) petitum totidem verbis exhibet *Allinga* (ll):
Certum, ajunt, frustulum ceræ quam plurimis figuris variari potest,
naturam autem suam unam idcirco mutare dici non potest. Fiat ex
triangulari rotundum, ex rotundo quadratum aut interno calore aliam
quamlibet assumat figuram, eadem natura tamen permanet. Eadem
prorsus ratione unum, fixum & immutabile est illud vero cogitare, sub
diversitate objectorum & applicatione sui ad illa. Cons. etiam *Christoph.*
Prustichius (mm). Enimvero nullius esse momenti isthuc simile in praesenti
qvidem negotio, haud difficulter ostenditur. Qualis enim haec
comparatio? Sermo nobis est de actione, quam propter diversitatem
objectorum sibi inyicem succendentium interruptam esse oportet, illi
opponunt nobis simile à substanciali extensa ejusque passione & variâ
receptione figuræ petitum. Ostendendum illis erat, Cogitationem
manere unam eandemque, et si ad varia sece objecta determinet, quas
determinationes distinctas faciunt ab illâ indistinctâ cogitatione, at illi
disputant de substanciali extensa v. g. cerâ, ejusque naturam manere
semper eandem docent, etiamsi varias figurâs induat. De eo vero
inter nos atque Cartesianos convenit, ipsum subjectum actionis non
variare variante licet actione ejus, naturamque animæ semper manere
eandem, etiamsi illa varia cogiter, nec de eo inter nos lis est, utrum
multæ cogitationes singulares de uno communi nomine cogitationis
participent; at cogitationem ipsam non variare pro varietate objecti,
circa quod occupatur, distinctamque esse realiter cogitationem, quæ
hoc objectum singulare apprehendit à cogitatione indeterminata, quæ
cessante cogitatione illa definita remaneat, sitque non universale quid,
sed *Cartesio* (nn) docente natura particularis, hoc vero probatione
principue indigebat.

§. 4. Ne autem subdole egisse cum *Cartesio*, & rationes, quibus
ille duckus mentis essentiam in actuali cogitatione, sive uti sectatores
ejus loqui amant, in substanciali actu cogitandi collocandam esse cre-

B

didit,

(ii) *C. R. L. 2. c. 2. p. 43.* (kk) *C. R. L. 2. c. 2. §. 2. p. 45.* (ll) *Eror,*
Illustr. p. 343. (mm) *Theol. Pacif. c. 10. §. 120. p. 89.* (nn) *P. 2.*
Ep. 6. p. 12.



didit, pro rōs dissimulasse videamur, operæ pretium erit, illas qvoq;
priusq; ad alia provehamur, paucis discutere. Exhibit illas
passim, præcipue in Meditationibus & dissertatione de Methodo, in
qvib; id egisse videtur Cartesius, ut mentem qvoq; suam certâ distin-
ctâq; de semetipsâ notitiâ instrueret. In meditatione primâ post-
qvam de omnibus dubitandum esse docuisset, in qvib; vel minimam
dubitandi causam invenire possumus, atq; adeò falli se posse vel somni-
antem vel à DEO deceptum aut maligno qvodam & præpotenti genio
delusum in iis præsertim, qvæ sensibus obversantur, supposuisset, in
secundâ deinceps Meditatione talem processum instituit. Ex eo, qvod
dubitare se de rebus omnibus, nullamq; mentem, nullum corpus,
nullum coelum, nullam terram supponere, inq; iis omnibus, qvæ sensu
percipiuntur, decipi se posse animadvertis, deprehendit tamen se esse
qvid, cùm nec falli, nec cogitare, nec dubitare posset, nisi aliiquid
esset. Cognito deinceps qvòd sit, inquirit qvid sit. Animadvertis
itaq; se esse non extentionem, non figuram, non motum, non alias,
qvæ spectant ad naturam corpoream, sed esse præcisè tantum rem cogi-
tantem, h. e. intelligentem, imaginantem, sentientem, nolentem,
volentem, dubitantem, tandem pronunciat, totam naturam suam in
eo consistere, qvòd sit res cogitans, qvæ appellatur mens, ratio, intel-
lectus, cùmq; præter cognitionem nihil aliud pertinere ad naturam
suam animadvertis, in cogitando omnem mentis essentiam absolvit
concludit. Eandem demonstrationem instituit in dissertatione de
Methodo (oo) qvanq; aliud etiam fundamentum ibi suppeditasse
videatur ab indesinenti actu cogitandi petitum, qvi cùm ne ad momen-
tum qvidem cessare possit, colligit inde se esse rem qvandam, cuius
natura tota sive essentia in eo tantum consistit, ut cogite. Qvæ verò
postrema ratio utrum argumentum præbere possit rei demonstrandæ
satis idoneum, haud immerito dubitaveris. Cùm enim probaturus
alibi Cartesius Mentem Humanam semper cogitare, provocet ad essen-
tiā mentis, qvæ tota in cogitatione consistat, hic autem ostensurus
mentis naturam omnem cogitatione absolvit, loco medii & principii
inferentis assumat id, qvod illatum erat antea, mentem scilicet huma-
nam semper cogitare, quo pacto excusari possit à vitioso, quem in
Scholis vocant, Circulo nos qvidem non intelligimus, nisi fortè Geo-
metricarum

(oo) Art. 4. p. 21.



metricarum demonstrationum, quas tantoper commendat Cartesius, eam velit esse naturam, ut aliquando etiam in circulum abire aut principium petere possint, qualem quidem argumentandi modum familiarem esse Cartesio passim ostendit *P. Gassendus* (pp). Ceterum quid prior illa demonstratio in recessu habeat, juvat paulò fusiùs inquigere. Evidem de illis nolumus esse solliciti, quae de hyperbolicā dubitatione, sive, uti mitius Magistrum suum interpretatur *Allinga* (qq) de suspensione judicii cum fundamento inquisitionis boni assensus conjunctā in meditatione primā præmisit Philosophus, cùm nec chartæ illud nec instituti præsentis ratio admittat; neq; forte de eo litem movebimus Cartesio, num ex cogitatione & actibus similibus mentis existentia à posteriori demonstrari possit, cùm omnis actio, physica præsertim de principio agente actu existente luculenter testetur, illudq; adeo certum sit, ut haud immerito inutilem illum & vanum apparatus appellat *Gassendus* (rr) quem ut sui existentiam demonstret, tam operosè adhibet Cartesius; merentur tamen attentiūs considerari, quae ut mentis suae naturam declararet, afferre voluit. Dicit Cartesius, se non esse extensionem, non figuram, ceteraq; quae ad corpus pertinent. At, quo argumento probabit Des-Cartes se non esse extensionem, uti loquitur, aut idem illud quod cogitat non esse simul extensum? Quid si dixero, eundem præjudiciis, et si liberare mentem ab illis modis omnibus studet, hoc ipso obrui, quando extensionem à re cogitante divellit, cùm in uno subjecto singulari forte utrumq; possit concurrere, planè uti motus & figura concurrunt in uno corpore, potestq; unum absq; altero ex proprio iudicio *Cartesii* (ss) separatim intelligi. Forte tollendo & removendo diligentissimè omne quod est extensum, omnem etiam simul cognitionem è medio tollit, quando non posse eam proficiisci à subjecto aliquo simul extenso aut negato illo adhuc posse elici, nullo argumento evincit. Sed habeo, inquit, *Cartesius* (tt) distinctam ideam extensionis ab ideâ cognitionis quam maximè differentem, ad id autem ut certus sim unam rem esse ab alterâ diversam, satis est, quod possim unum absq; altero clarè & distinctè intelligere, cùm à DEO saltem, qui ea tantum facere potest,

B.2

quæcunq;

(pp) *Disquis. Metaph.* p. 74. 75. 286. 310. (qq) *Erot. Illustr.* p. m. 217.

(rr) *Disquis. Metaph.* p. 27. 38. (ss) *Vid. Cartes. Resp. ad 1. Obj.*
p. m. 63. (tt) *P. I. Princ. §. 6. p. m. 16. & in Medit. 6.*



qvæcunq; clarè distinctèq; percipio, seorsim ponî possit (uu). Hic autem necesse est ut ostendamus, qvam fallacibus & lubricis hæc suffulta sint principiis. Perceptionem suam propriumq; judicium regulam Des Cartes constituit eorum omnium, qvæ Deus potest aut non potest. Quasi verò ab imperfectâ, qvæ in nobis est, intelligendi ratione divina potentia dependeat, nec fieri à DEO qvicquam possit, qvod claræ distinctæq; perceptioni nostræ repugnat. Deinde distincta vult esse realiter, qvæ distinctis conceptibus intelliguntur. Itane verò ab esse objectivo rei, qvod habet in intellectu, licebit semper argumentari ad rem ipsam, & qvia cogitationem concipiimus non conceptâ extensione concludere ipsam esse absq; extensione aut extra subjectum extensem? Ex attributis certè DEI v. g. justitiâ & misericordiâ unam absq; alterâ clarè & distinctè percipiimus, anne igitur ex hâc nostrâ intellectione v. g. justitiæ seorsim institutâ colligendum statim erit justitiam à misericordiâ reipsâ esse diversam? In triangulo clarè distinctèq; apprehendimus proprietates varias, ecquis tamen nostrum propterea admettit, ita posse unam proprietatem ab aliâ separari & seorsim ponî, ut triangulum istam & non illam habeat, vel ista quoque præterea seorsim sit à triangulo? Qvorum qvidem alterum cùm objecisset Cartesio qvidam in Belgio theologus (xx) alterum Gassendus (yy) Cartesius nihil ad hæc responderet solidi, sed cùm probandum ipsi incumbet, illa, qvorum unum sine altero clarè distinctèq; intelligitur, esse duas completas substancialias, ipse statum invertit, deq; eo, utrum duæ completæ substancialiæ sint separabiles distinctæq; realiter, qvod nemo qvidem negavit hactenus, sermonem instituit (zz). Quemadmodum vana quoq; sunt effugia, qvibus sententiam suam in Epistolis (aaa) tueri satagit Des Cartes, discrimen aliquod fingens inter abstractionem, qvâ usus non sit, & exclusionem qvam adhibuerit, atq; ve insuper inculcans, idem illam cogitationis, qvam de animâ tantum haberi doceat communiter (bbb) repræsentare sibi animam tanquam substantiam aliquam, (uu) Conf. & Cartes. P. 1. Epist. 95. ad H. Regium p. 312. (xx) obj. 1. p. m. 52. (yy) obj. 5. p. m. 48. (zz) vid. Cartes. Resp. ad 1. obj. p. 63. Conf. & Gassend. Disquis. Metaph. in Medit. 6. p. 285. 286. qui cetera quoque que Antonio Arnoldo Doctori sorbonico in Respons. quartâ opposuit Cartesius, prolixè dissolvit. (aaa) P. 1. Epist. 115. p. 373. (bbb) P. 1. Epist. 29. p. 59.

aliquam, quæ existere possit, licet ab illâ excludatur, quicquid ad corpus pertinet. Existimamus enim in omni abstractione præcisivâ exclusionem quodammodo illorum conceptuum contineri, à quibus sit abstractio. Et licet concesserimus, abstractionem ab exclusione, quæ obtinet in abstractione, quam in Scholis vocant satis abusivè, negativâ posse discerni, quâ ratione nobis persuadebit Cartesius, ideam illam cogitationis representare nobis aliquid tanquam substantiam, quæ exclusâ licet omni extensione possit seorsim existere? Quid si alii cum Thomâ Hobbes Malmesburiensi, vel Henrico Moro Cantabrigiensi, Anglis, talem substantiam conceptâ licet ideâ cogitationis non agnoscant, aut ex præsumpto & aliunde jam de mentis immaterialitate confirmato judicio obversari intellectui credant. Adde quod perperam concludatur ab attributis, quæ tantum diversa sunt, qualia sunt cogitatio & extensio, atque interveniente etiam exclusione mentis seorsim possunt spectari, ad incompossibilitatem eorum essendi in eodem subjecto. Virtutem attrahendi ferrum in magnete seorsim possum attendere, excludendo etiam aliam ejus virtutem, quâ dirigitur versus polum, cum magnes possit existere, etiam si virtus illa, quâ polum respicit, auferatur planè, anne verò virtus illa ideo magneti denegabitur, aut distinctam diversamq; ab illâ, cui virtus inest trahendi ferrum, constituet substantiam? Sed mittamus hæc, & quod caput est argumentationis Cartesianæ, brevibus examinemus. Demonstrat Des Cartes totam naturam suam consistere in eo, quod sit res cogitans, & quod majoris ipsa cogitatio, quia remotâ extensione præcisè tantum rem in se cogitantem esse advertit. At hic nimium sibi tribuit Cartesius, suam nobis notitiam denuò pro regulâ obtrudens eorum, quæcunq; non modò cognosci de humana mente possunt, sed etiam quæ in illâ sunt, ejusq; essentiam intrinsecè constituunt. Ut paralogismus ejusdem pateat ad oculum, seqvens dabimus ratiocinium ex Cartesii verbis contextum: Quod ego solùm in mente meâ advero, in eo consistit tota natura mentis, atqui, Quod cogitem ego solùm &c. E. in cogitando consistit tota natura mentis. Cujus argumenti majorem sollicitiùs intuenti opportunè in mentem venit illud simile, quod Cartesio aliquando objecit Gassendus, cui similis videbatur Cartesius cœco, qui calorem sentiens Solis non percepto lumine, clara mente habere distinctamq; ideam Solis profitetur, rogatusq; de naturâ Solis

B 3. 20. 9. 2. 1. 1. respondet,



respondet, Sol est res calefaciens, &c., quod amplius, ipsa calefaction, inq; eâ tota ejus essentiâ consistit. Ut verò nemo nisi fortassis ipse cœcus fuerit, crederet cœco, totam naturam Solis in calefactione collanti, cùm præter ipsam ideam, qvæ exhibet Solem ut est res calefaciens, aliæ etiam videntibus obversentur idæ Solis, rei utpote illuminantis, habentis talem colorem, figuram, magnitudinem situm, motum, & substantiam; ita omnino arbitror non sufficere ad naturam mentis declarandam dicere, mens est res cogitans vel cogitatio, cùm hoc tantum in me deprehendam. Eqvidem non ignoro, qvid hic responderit Gassendo Cartesius (ccc), Ideam illam, qvam sibi de Sole format cœcus, ut imperfectam posse argui ab aliis, qui visu prædicti ejus lumen & figuram insuper agnoscunt, præter cognitionem autem à némine in mente aliquid amplius cognosci. Enim verò non solvunt hæc nodum. Ita enim, uti rectè concludit Gassendus, adhuc similis videbitur Cartesius cœco, qui cum alio cœco loquens affirmat se cognoscere qvicqvad est in Sole, qvia ejus calefactionem sentit, neq; alter eum corrigere, aut qvid Sol sit præterea, docere potest. Fingamus, DEUM voluisse omnes homines nasci cœcos, & Solis tamen calorem sentire, anne verò idèo rectè mortalium aliquis affereret, nihil esse in Sole præter calorem, qvoniam hoc pacto nemo esset, qui posset illum ope visus arguere. Qvo jure itaq; gloriabitur Cartesius, nosse se qvicqvad in humanâ mente, qvia aliud dicere nequit, qvid in eâ sit præter id, qvod de mente ipse intelligit? Et qvid tandem laborioso illo conatu sedulâq; evocatione mentis ab omnibus imaginationi sensibusq; obviis, ut suam ipsa naturam qvam distinctissimè percipiat, consecit Cartesius? Rem, dicit, se esse cogitantem i.e. mentem. Hocne verò est mentis naturam notam facere, qvam laudem soli Cartesio deberi afferit Ludov. de la Forge (ddd). Operationem nobis commorat, qvam omnes priùs tenebamus, & sufficiens fortè argumentum præbere ad probandam à posteriori existentiam nemo negat, sed ipsam mentis essentiam & operantem substantiam qvalis sit, qvove modo ad agendum tam varia tam variè sese comparet, ac hujusmodi cætera hactenus ignorata nobis non declarat. Certè si hæc est genuina Philosophandi methodus ex operatione qvâdam cognitâ putare se totam naturam & essentiâ rei cognouisse, res erit jam expedita faciliq; negotio abstrusas (ccc) Resspons. ad s. p. m. 76. (ddd) De Ment. Hum. c. 6. p. 29.



abstrusas rerum essentias habebimus perspectas. Quæsiti itaq; de naturâ eqvi respondebimus, tota natura eqvi consistit in eo ut hinniat; de naturâ magnetis, tota ejus natura in eo consistit, ut ferrum trahat, qvod si sufficere credidisset ipse Cartesius, non opus habuisset tanto studio triginta quatuor proprietates magnetis evolvere, ut notam nobis ejus naturam ficeret. (eee).

§. 5. Excussum jam & satis qvidem prolixè præcipuum Renati Des Cartes pro perpetuâ cogitatione fundamentum, facilemq; nobis & expeditam viam reddidimus, qvâ cætera quoq; ve, qvæ huic rationi superstruit convelli haud difficile negotio possint. Videtur autem Cartesius alibi (fff) argumentum aliquod ex loco comparatorum voluisse deducere, atq; adeò ex naturâ lucis, qvæ semper luceat, licet nulli fuerint oculi, qui eam intueantur, caloris, qui semper sit calidus, licet se nemo calefaciat, præsertim verò corporis, qvod semper habeat extensionem, licet nemo, uti addit (ggg), illud habere extensionem adverat, concludere, humanam quoq; mentem perpetuò cogitare. Magistrum hic suum quoq; postremam in primis comparationem ab extensione corporis petitam, quam omnium aptissimam judicant, & ad præsentem scopum maximè accommodatam seqvuntur etiam cæteri Cartesiani, Burmannus (bbb) P. Poiret (iii) Wittichius (kkk) P. Altinga (lll) & præcipue Ludov. de la Forge (mmm) cujus verba placet adscribere: Quemadmodum nullum videmus corpus, qvod non sit actu extensum, & non potentia tantum, & qvod non actu debeat habere aliquam figuram, & non tantum esse capax eas recipiendi, qvas ipsi dare velimus, eodem modo natura mentis non tantum consistit in eo, qvod habeat facultatem cogitandi, sed etiam necesse est, ut tantisper dum existit, semper habeat aliquam cogitationem, in qvâ sit occupata. Enim verò ut omittam jam, qvæ Cartesio inconsimili negotio passim obvertit Gassendus, & ex professo Martinus schookius (nnn) qvod similitudinem afferre eamq; non satis appositam non sit rationem proponere.

(eee) P. 4. Princ. §. 145. p. m. 192. seq. (fff) P. 1. Epist. 105. p. m. 343.

(ggg) P. 2. Epist. 16. p. 85. (hhh) Narrat. de Controv. ultr. p. 78.

(iii) Cog. Rat. L. 3. c. 3. §. 5. p. 49. (kkk) Theol. Pacif. c. 10.

§. 120. p. 89. (lll) Erot. Illustr. p. 343. (mmm) De Ment. Hum.

c. 6. §. 2. p. 30. (nnn) In Admir. Method. nov. Philos. Cartes.

c. II. p. m. 146. 147.



ponere, suppetunt omnino multa, quæ & tertium comparationis nullum & rationem in recensitis similibus prorsus esse dissimilem manifeste ostendunt. Etenim lucem lucere semper, quamdiu illa subjectivè inhæret corpori luminoso, caloremq; non posse concipi, qui non sit calidq;, facile largimur, idq; ut credamq;, eadem nobis per suadet ratio, quâ persuasum se esse profitetur Cartesius. Sed quid hæc ad perpetuam mentis cogitationem indestabilieram facient? Recurrit nimis semper πρῶτον illud ψεῦδος, cogitationem esse de essentiâ mentis atq; adeò ab eâ inseparabilem, planè uti τὸ lucere à luce & calidum esse à calore nequit separari. At hoc falsum esse ex modò dictis constat. Quia potius nos ab hisce qualitatibus eorumq; effectu ad actionem illam mentis, quam cogitationem vocant, ita concludimus: Quidammodum à luce v. g. Solis non descenderet illuminatio sive motus ille & prompta, ut describitur *Cartesio* (ooo) vividaq; actio, quæ per aërem & alia corpora pellucida interjecta transit, si nulla intercederent corpora intermedia, quæ possent illuminari, lumenq; illud à Sole emanans recipere, atq; uti calor non potest calefacere, nisi objectum adsit debitè approximatum, quod possit calefieri: ita etiam mens nostra non potest actum cogitandi elicere, nisi objectum aliquod habeat, in quod ferasatur, quo interveniente etiam esse determinatum ac singulare ita sortitur, ut specie ejusdem vicariâ quovis modo evanescere aut deficiente, quod sæpenumero in dormientibus, aliquando etiam in vigilantibus contingit, ipsa etiam mens interquiescere, nihilq; cogitare verè dicatur. Quid autem ad comparationem, quam hic instituit Cartesius, facere possint addita ab illo verba, lucem lucere eti nulli oculi adsit, qui eam intueantur, caloremq; esse calidum, eti nemo se calefaciat, non satis assequor. An forte dicendum, animam quoq; nostram posse cogitare, eti nemo in se cogitationem ullam animadvertiscat. Hanc videlicet mentem suisce *Cartesii* ex Epist. Opere (ppp) haud obscure potest intelligi. Ita verò & absconsa loquitur, & propria vineta manifeste cædit *Cartesius*, cum alibi (qqq) aperte scribat immediate conscos nos esse illorum omnipium, quæ cogitamus, sitq; hæc communis Cartesianorum sententia, ex quibus *Vitticius* (rrr) cogitationem

(ooo) *Diopt. c. 1. §. 3. p. 50.* (ppp) *P. 2. Ep. 16. p. m. 85.* (qqq) *P. 1. Princ. §. 9. p. 2. Ration. mor. Geometr. dispos. p. m. 85.* (r) *P. 2. Epist. 6. p. 19.* (rrr) *Theol. Pacif. c. 10. §. 120. p. 89.*

rationem describit per conscientiam immediatam ejus, qvod est in mente, & *Lud. de la Forge* (sss) cogitationem docet consistere in perceptione, conscientia & cognitione interna, quam unusquisque nostrum immediatè percipit per seipsum, quando conscius est, ejus, qvod facit, aut qvod in ipso sit, quibus adde *cl. Job. de Raci* (ttt) Cognitionis nomine complectentem id omne, qvod sic in nobis est, ut ejus immediatè simus consci. Quà verò ratione conscientia mens erit rerum, quas cogitat, si cogitare de rebus potest, et si cogitare se non advertit.

S. 6. Ultimum autem simile, in quo sibi mirè placet cum sequacibus suis Cartesius, accuratius examen meretur. Putat nimis Cartesius cogitationem ita semper convenire menti, ut extensio semper convenit corpori, cum eadem in hoc tertio cognitionis ratio sit, quæ extensio, & sicut illa mentis, ita hæc corporis naturam & essentiam omnem constitut. Qvod postremum axioma uti hic supponit & passim aliud inculcat Cartesius, ita juvabit in præsenti diligentius discutere, & quā perperam tota definitio & natura corporis, & quæ uti mentis intra ambitum unius attributi concludatur, breviter declarare. Quid autem extensio, sive ista in longum, latum & profundum dimensio aliud, quam una quædam proprietas, modus & affectio corporis, non quidem communis DEO patiter & Angelis, uti incongruè satis docuit *Henricus Morus* (uuu) extensionem DEO quoq; & Angelo, immo omni rei per se subsistenti tribuens, & ex falsâ hæc hypothesi Cartesianam corporis definitionem multè quam par est latiorem esse arguens, sed corpori haec tenus propria? Anne verò propterea ipsam substantiam corporis intrinsecè & formaliter constituet, corpusque nihil aliud erit, quam extensio? Sanè uti aliud est attributum, seu proprietas, & aliud omnino substantia, sive natura cuius est, vel ex qua emanat, ita unam proprietatem & attributum substantię percipere, non est totam ejus naturam & essentiam internam, quam occultam voluit esse DEUS, perspicere. Deinde si tota natura corporis in extensione consistit, oportet omnino actionem omnem, omnemque agendi facultatem extra naturam corporream esse, quoniam extensio est attributum merè ἀνεργητον, & quem dicit solùm extensem, inter cætera non activam dicit. At quod tandem principium illud, quo nutrimur, crescimus, & reliqua omnia

C

nobis

(sss) *De Ment. Hum. c. 3. §. 3. p. 7. Conf. & c. 5 p. 27. (ttt) clav. Phil.*

Nat. p. 297. (uuu) Apud Cartes. P. 1. Epist. 66. p. 178.



nobis cùm bruci communia sine ulla cogitatione peragimus, ab eo quo
cogitamus, Cartessi judicio (xxx) quam maxime distinctum, referes
Cartesius? Quod incorporeum est, ex ipsius effato solum cogitar,
neutquam verò vim motricem physicam suiqs; sæpè similis effectricem
aliasve actiones materiales elicit. Quod corporeum autem est, solum
extensum est adeòqs; mere passivum quid. Adde quod ex hac sententiâ
essentiam corporis in trinâ dimensione collocante seqvi omnino videa-
tur, corpora omnia unâ contineri specie, nullamqs; inter illa specificam
diversitatem dari. Major enim, uti recte insert *Job. Baptista du Hamel*
(yyy) aut minor latitude aut sola figuræ diversitas, sive extensio, quam
vocat *Vittichius* (zzz) certo modo modificata respectu figuræ inti-
marum particularum, earumqs; compositionis & situationis, rerum spe-
cies haud sufficienter distingvit, quicquid etiam hic sentiant *Cartesius*
(aaaa) aliiqs; recentiores, nec insimi nominis Philosophi, qui omnem
distinctionem, istamqs; admirabilem varietatem corporum ex motu
ac certis affectionibus & numero paucis & intellectu non arduis, figuræ
magnitudine & situ partium juxta leges Mechanicæ derivare solent.
Equidem quibus hic rationibus pugnet cum Sectatoribus Des Cartes,
ut corporis naturam omnem in extensione consistere evincat, obscurum
nobis non est. Non habemus, scribit *Cartesius* (bbbb) aliam pro cor-
pore notionem nisi extensionis, ex quâ figura & motus orientur, estqs
hac ejusdem judicio (cccc) præcipua proprietas, quam omne aliud,
quod corpori tribui potest, presupponit, adeò ut v. g. figura non nisi
in re extensâ possit intelligi, nec motus nisi in spatio extenso, cùm
interim extensio possit intelligi sine figurâ vel motu, semperqs; integra
corporis idea aut natura relicta saltet triplici illâ in longum latum &
profundum dimensione remaneat. Enimverò licet mihi ad hasce
~~rationes~~
(xxx) *Resp. ad Obj. 5. p. m. 60.* (yyy) *De Conf. Vet. & Nov. Phil.*
L. 2. c. 4. p. 666. (zzz) *Theol. Pacif. c. 10 §. 124. p. 93.* (aaaa) *Conf.*
Ejus P. 4. Princ. Phil. præsent. §. 199. 200. p. 218. 210. seqq. Add. Rob.
Boyle Tract. de formar. & qualitat. origine. (bbbb) *P. 1. Epist. 29.*
ad Elif. Princ. Palat. p. 59. (cccc) *P. 1. Princ. §. 53. p. m. 14. Conf.*
etiam Autor Dissertationis, in quâ vindicantur rationes, quibus
probant cartesiani essentiam corporis consistere in extensione, quæ
habetur inter alia opuscula conjunctim edita superiori anno Amstelod.
Sub tit. Recueil de quelques Pièces curieuses &c. p. m. 160.

rationes nonnulla reponere. Primum non admittam ideam vel notio-
nem proprietatis, qvam habeo de corpore notam mihi statim & explo-
ratam facere integrum naturam corporis, ut in illâ proprietate cognitâ
totam substantiam corpoream consistere, possim concludere. Ut enim
alia præterea, qvæ notata sunt superius, unde ideae istæ, sive notiones,
qvæ de corporis naturâ mentem meam subeunt, sunt haustæ? Nonne
à sensibus? Unde novi corpus omne esse extensum, nisi qvòd nullum
corpus nisi idem extensum viderim? At cur tanta jam vis & auctoritas
tribuitur sensibus, ut ex illorum dictamine non modò de existentiâ, sed
& de intimâ totâq; rerum essentiâ possim esse certus? Sufficiet ne ad id,
ut ipsa rerum substantia clare mihi distinctèq; constet, sola sensuum
cognitio? Cur itaq; toties fidem omnem sensibus derogat Des-Cartes,
judiciaq; omnia, qvæ illis superstruuntur, incerta esse pronunciat (ddd).
Deinde neq; largiar, nos non habere aliam pro corpore ideam præter-
qvam extentionis, neq; concedam, hanc primam esse & præcipuam cor-
poris proprietatem, atq; radicem reliquarum omnium. Cùm enim
ideas in mente meâ sensuum beneficio acquisitas consulo, atq; affe-
ctiones inde perceptas expendo, & qvè se offert mihi corpus ut impene-
trabile, vel ut divisibile, qvam qvidem ut extensum, cumq; hæ affe-
ctiones ita sint comparatae, ut una non possit esse absq; alterâ, qvæ
prima sit in ordine & radix atq; causa virtualis cæterarum, difficulter
puto intelligi, secus atq; hic sentit Autor dissertationis Cartesianæ Ludo-
vico à Villâ opposita (eee) certum qvendam ordinem illorum conce-
ptuum constituens. Adde, qvod multorum (ffff) iudicio positio par-
tium extra partes in corpore, & habitudo illarum ad se invicem prior
concipiatur, qvam triplex extensio, qvæ intervenientibus quantitatibus
partibus corpori tribuitur. Quomodo etiam extensio in corpore possit
intelligi absq; figurâ aliquâ, qvod profiteretur Cartesius, ego qvidem
non perspicio. Nullam enim ideam de extenso corpore dari posse exi-
stimo, qvæ non simul figuram aliquam potentiae cognoscendi ingerat,
cùm, uti fateatur vindicta Cartesiana Philosophia acerrimus Ludov. de la

Forge

(ddd) cartes. P. 1. Princ. §. 4. P. 2. §. 3. Medit. 6. p. m. 42. & in Ration.

Mor. Geom. Dispos. p. m. 16. in Medit. primâ & alibi passim. Conf.

& zoh. de Rac. Clav. Philos. Natur. p. 532. 533. (eee) Conf. Dissert.

modò cit. p. m. 164. 165. (fff) Conf. Ludov. à villa instant. cit.

Dissert. §. 9. p. 168.



308

Forge (gggg) corporis extensio subsistere non possit, nisi aliquâ figurâ sit limitata. Ultimò illud in genere observo cum Cl. du Hamel (bbbb) confusisse in toto hoc negotio Cartesium ideam corporis Mathematici, quod trihâ dimensione absolvitur, cum idêa corporis Physici, atq; adeò ad Mechanicas & Geometricas leges rerum omnium naturas & motus revocando non tam res in se ipsis considerâsse, qvam uti mente quodammodo & cogitatione depinguntur. Qvibus ita in antecessum expeditis, cætera quoq;, qvæ ex hâc comparatione ad mentem Cartesii infert Ludov. de la Forge (iii) facili ratione solvuntur. Quemadmodum, ait ille, non videmus corpus quod non sit actu extensum & non potentia tantum, eodem modo natura mentis non tantum consistit in eo, quod habeat facultatem cogitandi, sed etiam necesse est, ut dum existit, habeat aliquam cogitationem. Enim verò unde nobis hanc necessitatem persuadebit Vir Cl. Ratio certè, qvam ab essentialibus constitutivis, qvæ rem aliquam intrinsecè constituunt, eiq; tam diu insunt, qvam diu res illa existit, derivat Cartesius, etsi alibi haud parum momenti habeat, hîc tamen nulla est, & impertinenter adducitur, cùm nec mentis integrum essentiam in cogitatione, nec corporis in extensione consistere abundè ex dictis constet. Esto itaq;, quod corpus in statu suo connaturali extensionem actualem semper habeat, qvid hæc ad mentem ejusq; perpetuam cogitationem evincerent? Quid quantitati, qvæ attributum est à νεύρησιν, ampliacione immune cum actione, qvæ licet immanens sit, non tamen se exsecurib; objectū cæteraq; ad agendum requisita adsint. Nonnè ipse Des Cartes in Meditatione secundâ fatetur, nihil prorsus esse commune inter cognitionem & extensionem, & si in totâ rerum naturâ inveniri non possunt duo attributa magis ab invicem remota, & qvæ minorem inter se habent convenientiam, qvam cogitatio & extensio, quod docet idem Vir Cl. Ludov. de la Forge (kkkk), qvæ nos amplius movebit ratio, ut credamus mentem in hoc tertio convenire cum corpore, quod uti corpus in statu suo naturali semper est extensum, ita mens humana quoq; perpetuò cogitare debeat. Sed ista qvidem hâc vice sufficiant. Cæteras rationes, qvibus in demonstrandâ mentis humanæ cogitatione perpetuâ utuntur Cartesiani, cùm discutere hîc non liceat, ne ultra institutum pagellarum exerescat numerus, in alterâ Dissertationis hujus Philosophicæ parte pleniùs examinabimus.

ΘΕΩ μόνω δέξα.

(gggg) De Ment. Hum. c. 6. §. 2. p. 30. (hhhh) De Conf. Vet. & Nov. phil. L. 2. c. 4. p. m. 666. & §. 9. p. 669. (iii) De Ment. Hum. c. 6. p. 30. (kkkk) De Ment. Hum. c. 3. §. 4. p. 80
105(0)90

ULB Halle
004 529 26X

3



SB


KD7



B.I.G.

Farbkarte #13

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue



V.
CARTES
APHYSICUM:

IMANA
OGITET,

esophorum Ordinis,
à Gryplicâ
ublice

OPHORUS
US, Gedan.

Professor Ordinar.

SEGER,

M DC LXXXV.

DIÆ,

TARCKII, REGIE ACAD.

MI.



H. 1685, 4
22